



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Hasnonivm, vulgò Hasnon, ad Scarpum fl. tertio lapide à Valentianis  
Hannoniae vrbe.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

## HASNONIUM,

*Vulgò Hasnon, ad scarpum fl. tertio lapide à  
Valentianis Hannonia vrbe.*

*An. 670.*

**C**Oenobium Hasnoniense Ioannes vir  
nobilissimus, illius tractus toparcha seu  
Dominus, & soror eius Eulalia, anno Christi  
sexcentesimo septuagesimo, construxerunt,  
& sanctus Vinditianus Cameracensis & A-  
trebatensis Episcopus II. Kal. Maij, Deo &  
sancto Petro Apostolo dedicauit. Fuit autem  
à prima institutione coenobium sexus vtri-  
usque: Ita Iacobus Guisianus in manuscriptis  
Hannonia Chronicis. De fundatoribus huius cœ-  
nobij exstant versus isti perantiqui.

*Si cupis Hasnonij structores noscere templi,  
Hec metra pertracta, sic succedent tua vota.  
Inclyt a progenies Eulalia, sicque Ioannes,  
Frater hic, illa soror, germani mente fideli,  
Huius presentis statuunt fundamenta templi,  
Tunc humanati Verbi dum voluitur annus,  
Qui sexcentenus quoq; septuagenus habetur.  
Cunctis expletis aduenit Vinditianus,  
Antistes Cameracensis, templumq; dicauit,  
Altithrono Domino, cuius nos lustrat imago,  
Celi clauigero, Doctori gentis amœno.  
Desine mirari hic sexum duplicem famulari.  
Namq; Ioannis & Eulaliæ præclara propago,  
Cœnobium rexit, cetum super æthera vexit.*

*Hic*

*Hic locus enituit rigidi seruator honesti,  
 Vsque dies Carli durans cognomine Calui  
 Induperatoris, Regis quoq; Francigenarum.  
 Ipsius & coniux Ermentrudis vocitata,  
 Mundum despexit, regni fastumq; reliquit,  
 Huic domui sese tradens, fit Martha Maria,  
 Otia sectando pia, diuiniq; vacando.  
 Semine Casareo produxerat equiuoc atam  
 Formosam natam, meritis tamē vniuoc atam,  
 Quam secum nutrijt consortem religionis.  
 Sic spreto mundo tegitur velamine nigro,  
 Moribus ornat a fuit Abbatissa creata,  
 Ast eius genitor post Carolus Induperator,  
 Cœnobij, matris prece, dotes amplificauit.*

*De monasterio isto sic breuiter Chronographus  
 Cameracensis, qui anno salutis 1030. floruit: In  
 vico, quem dicunt Hasnum, Abbatia fuerat  
 regalis olim atque ditissima, vbi ex maxima  
 parte requiescunt corpora SS. Marcellini &  
 Petri. Nunc autem degeneris seculi mori-  
 bus vitiatis, vti nunc clerici pauci deseruiunt,  
 desolatam & inopem condolemus. Fuit au-  
 tem cœnobium istud, vt & cetera Belgica, à Nor-  
 mannis vastatum; quod quidem monachis Bene-  
 dictinis quando sit traditum, Meyerus in Annali-  
 bus Flandriæ commemorat:*

*Anno Christi millesimo septuagesimo col-  
 legium Canonorum, apud Hasnonium in  
 Ostrouandia, conuertit Balduinus Flan-  
 driæ Comes in benedictinum monasterium.*

Vetus

Vetus reparauit templum, idque ab Episcopis Lietberto Cameracensi, Ratbodone Nouiomensi, Rainero Aurelianensi curauit dedicatum III. Nonas Iunias. Ea in dedicatione interfuisse reperio corpora Sanctorum Marcelli, Piatonis, Saluij, Amati, Donatiani, Vedasti, Amandi, Audomari, Gisleni, Vincentij, Bertini, Vuinoci, Vuandregifili, Bauonis, Euerardi, Euberti, Landelini, Hugonis, Aichadri, Eusebiæ, Rictrudis, Aldegundis, Ragenfredis, Reginæ, & Vualdetrudis.

*Hæc ipsa paullo aliter & fusiùs in Chronico suo Bertinensi narrat Iperius: Balduino Insulano Flandriæ Comiti successit filius eius Balduinus, à puero nutritus in aula Imperatoris Henrici. Hic in adolescentiæ suæ tempore decidit in tantam infirmitatem, vt ei pater in manu candelam teneret, extremum spiritum exspectans. Et ecce subito resumptis viribus, patri suo dixit: Pater ab hac infirmitate euadam, si mihi dare volueris locum de Hanon, vt ibi monasterium ædificare possim. Hæc vera erunt, quia statim hoc mihi sancti Marcellinus & Petrus promiserunt. Pater annuit, & filius sanus effectus est. Subuerso igitur Hanon castro, raptorum latibulo, ædificauit ibidem monasterium Hanonense in honore SS. Apostolorum Petri & Pauli, & SS. Martyrum Marcellini & Petri & propter hoc vocatus est Balduinus Hanonensis. Dicitus est etiam Balduinus Pius, quia totus erat deditus operibus pietatis, viduarum, or-*  
phano-

phanorum, Ecclesiarum, pauperum, & oppressorum amator & defensor præcipuus. Hic adhuc viuente patre duxit uxorem Richildem viduam Hermannii Comitis Montensis, ex qua duos habuit filios, Arnoldum & Balduinum. Regnavit autem solus tribus annis, & obiit anno Domini millesimo septuagesimo, & sepultus fuit in Hanon, quod ipse fundauerat, monasterio. *Hactenus Iperius.*

An. 1070.

## CAPVT XXX.

*Monasterium S. Romani de Hornisgâ, hodie S. Romani de Ornixâ in diœcesi Toletana.*

**F**undauit hoc monasterium ac dotauit Cindasuindus Rex & vxor eius Reciberga, Era 684. in honorem S. Romani monachi circa opidum de Toro. Agit de hoc monasterio S. Ildefonsus, & S. Isidorus in chronico his verbis. *Cindasuinthus regnavit annos mitis, gloriosus vel insignis, orthodoxus, & verè pius, hic à Deo habuit regnum anno V. Imperij sui Toletum Era de LXXXIII. Memoratus itaque Rex Gothorum regnavit annos VI. menses IX. dies XI. Extra Toletum pace obiit, in monasterioq; S. Romani de Hornisgâ secus fluvium Dorij quod ipse à fundamento edificavit, intus Ecclesiam ipsam in cornuto per quatuor partes, monumento magno sepultus fuit. Est hodie Prioratus annexus monasterio Regio Vallisole.*

684.

K

tano